

erit in sepultura majorum, vel si talem sit habeat, in parochiali, ac si nullam elegisset sepulturam. « Nam cum electio sepulturæ non possit sortiri effectum, perinde se habet, ac si non elegisset. 1. Si quis sub condit., ff. De test. tutor., et l. Ex sensu, § 1, ff. De appellat., ac proinde subintrat dispositio legis, cessante dispositione hominis. » Hæc Pignatell., tom. IV, consultat. 177, n. 11.

(329. Solet tamen concedi licentia a sacra congregatione, tam pro construendo sepulcro, quam pro sepultura in ecclesiis monialium pro personis bene meritis. Petra, *ibid.*, n. 30.

(330. Quæres, quid sit portio canonica parochialis, vulgo quarta funeralis? *ÿ. Est pars eorum*, quæ occasione funeris, et sepulturæ corporis extra parochiam tumulati, obvenerunt ecclesiæ tumulanti. De jure fere est quarta, cap. Cum super 8, De sepult., de consuetudine aliquando tertia, et aliquando media, cap. Nos instituta 1, et cap. Relatum 2, tit. cit., vel potius secundum Gloss., in cap. cit. Nos instituta, v. Tertiam, et text. cap. Certificari., tit. eod., pro temporum et locorum varietate varia. Schmalzgrueber, ad tit. cit. De sepult., n. 83. Vide v. Quarta funeralis per tot.

(331. Quarta vero funeralis solvenda venit ecclesiæ parochiali, in qua defunctus alioquin sepeliri debuisset, sive in illa parochia sit mortuus, sive in alia. Cap. cit. Nos instituta. — Quod si defunctus duo domicilia habuit in duabus parochiis, est distinguendum; nam si sacramenta, aliaque divina, dum vivebat, in utraque percepit, portio canonica inter utramque dividenda est. Cap. Cum quis, vers. Cum ab eo, De sepult., in 6. At si in una solum sacramenta, aliaque divina percepit, vel in una quidem percepit sacramenta, in altera officia divina audivit, communior sententia vult, totam attribuendam illi ecclesiæ, in qua defunctus sacramenta percepit. Schmalzgrueber, cit. tit. De sepult., n. 86.

(332. Solvi autem debet ista portio ab illa ecclesia, in qua sepultura electa est. Cit. cap. Nos instituta, cap. Cum in nostra 10, præd. tit. De sepult., et Clement., Dudum 2, De sepult. Et hoc procedit, etsi ecclesia illa haberet privilegium sepeliendi eos qui apud ipsam sepulturam eligunt, prout constat ex cit. cap. Cum in nostra; quippe privilegium ejusmodi intelligendum venit conformiter juri communi, vi cujus quarta parochialis solvenda est parrocho absque exceptione. Et etiamsi talis ecclesia sit exempta, ex Clement. Dudum, cit., quippe portio canonica solvenda est ecclesiæ parochiali, quod in ista defunctus sacramenta, aliaque divina perceperit. Schmalzgrueber, loc. et num. cit.

SEQUESTRATIO, SEU SEQUESTRUM.

SUMMARIUM.

1. Sequestratio seu sequester quid sit? — 2. Sequester quis sit, et unde dictus? — 3. Seque-

stratio, seu sequester quid sit? — 4. Sequestratio, seu sequester duplex, scilicet sequester voluntarium et necessarium. — 5. Sequester voluntarium seu conventionale, quale sit? —

6. Sequester necessarium seu judiciale, quale sit? — 7. Sequestrari possunt res mobiles et immobiles, res corporales et incorporales, seu jura, res profanæ et spirituales. — 8. Sequestratio seu sequester voluntarium regulariter est permittum. — 9. Quamvis autem talis sequestratio ab initio sit voluntaria, tamen post factam conventionem inter partes non licet ipsis partibus contrahentibus ab ea recedere. — 10. Item neque ipsi sequestri recipienti rem in custodiam licet sua sponte a tali officio recedere, nisi justa de causa, et interveniente auctoritate judicis. — 11. Sequestratio, seu sequester necessarium regulariter est prohibitum. — 12. Dantur tamen plures casus, in quibus licite potest fieri de jure sequestratio necessaria. Primo enim fieri potest ad instantiam alterius partis, quando reus dissipat fructus, quos conservare tenetur. — 13. Secundo, fieri potest sequestratio necessaria, nedom quando reus tales fructus actu dissipat, sed etiam cum rationabiliter timetur, ne ipsos dissipet aut dilapidet in futurum. — 14. Tertio, fieri potest, quando petitur res mobilis, et reus est suspectus, quod cum ea fugiat. — 15. Quarto, fieri potest, quando quis obligatus ad aliquid præstandum, non præstat, quamvis ad id monitus. — 16. Quinto, fieri potest in causis beneficialibus.

Quæres quibus casibus portio canonica non debeatur? R. Non debetur:

I. Ex iis, quæ defunctus reliquit aliis ecclesiis ab ecclesia sepulturæ suæ distinctis. Glossa, in cap. 1, De sepult., vers. Judicii; Schmalzgrueber, loc. cit., n. 88.

II. Si relictum sit aliquid ecclesiæ, in qua funus ad tempus solum depositum est, et alio transferendum ad sepulturam perpetuam; quia in tali ecclesia sepulturam proprie non habet. Azor., apud Schmalzgrueber, *ibid.*

III. Si relictum sit ecclesiæ (in qua sepulturam defunctus accepit), pro ornamentis, fabrica, anniversario et ad cultum divinum perpetuum, sine fraude tamen. Barbosa, De officio paroch., cap. 25, n. 47; Schmalzgrueber, *ib.*

IV. Si donatum vel legatum sit aliquid testamento ante sepulturam electam condito, adeoque independentem a sepultura a defuncto electa in tali ecclesia. Azor., apud Schmalzgrueber, *eod.*

V. Si Ecclesia parochialis diu nimis vacavit, ut defunctus in illa sacramenta aliaque divina percipere non potuerit; quia tunc cessat ratio illius exigendæ et consequenter jus ad illam. Wiest., apud Schmalzgrueber, *ibid.*

VI. Si dum defunctus decessit, ecclesia parochialis culpa rectoris fuit interdicta; quia tunc in ea defunctus sepeliri de jure non potuit, nec debuit. Idem, *ibid.*

VII. Si defunctus sit novitius religionis, et dum sanus erat, ingressus est monasterium, atque in illo, vel alibi, quo sanitatis causa se recepit, moriatur: quia tunc jam desit esse parochianus alterius eccles. C. De his 4, De sepulturis; Schmalzgrueber, *ibid.*, n. 89.

VIII. Si legatum ecclesiæ parochiali a defuncto relictum sit ea quantitate, ut portionem canonicam ipsi debitam æquet, et ea conditione, ut ultra illud quartæ parochialis nomine nihil amplius exigatur. Donatus, Prax. regular., tom. III, tract. 11, q. 22; apud dict. Schmalzgrueber, l. c.

IX. Si monasterium vel ecclesia a portione canonica præstanda, per privilegium Apostolicum specialiter exempta sit. Idem, *ibid.* Sed vide v. QUARTA FUNERALIS, n. 24.

X. Si obligationi portionis istius præstandæ parrocho per consuetudinem legitime præscriptam fuit derogatum: talis autem erit, si fuerit annorum XL cum titulo, vel immemorialis sine titulo. Abbas, apud d.; Schmalzgrueber, l. c.

stratio, seu sequester differt a deposito? — 4. Sequestratio, seu sequester duplex, scilicet sequester voluntarium et necessarium. — 5. Sequester voluntarium seu conventionale, quale sit? — 6. Sequester necessarium seu judiciale, quale sit? — 7. Sequestrari possunt res mobiles et immobiles, res corporales et incorporales, seu jura, res profanæ et spirituales. — 8. Sequestratio seu sequester voluntarium regulariter est permittum. — 9. Quamvis autem talis sequestratio ab initio sit voluntaria, tamen post factam conventionem inter partes non licet ipsis partibus contrahentibus ab ea recedere. — 10. Item neque ipsi sequestri recipienti rem in custodiam licet sua sponte a tali officio recedere, nisi justa de causa, et interveniente auctoritate judicis. — 11. Sequestratio, seu sequester necessarium regulariter est prohibitum. — 12. Dantur tamen plures casus, in quibus licite potest fieri de jure sequestratio necessaria. Primo enim fieri potest ad instantiam alterius partis, quando reus dissipat fructus, quos conservare tenetur. — 13. Secundo, fieri potest sequestratio necessaria, nedom quando reus tales fructus actu dissipat, sed etiam cum rationabiliter timetur, ne ipsos dissipet aut dilapidet in futurum. — 14. Tertio, fieri potest, quando petitur res mobilis, et reus est suspectus, quod cum ea fugiat. — 15. Quarto, fieri potest, quando quis obligatus ad aliquid præstandum, non præstat, quamvis ad id monitus. — 16. Quinto, fieri potest in causis beneficialibus.

(1. Sequestratio seu sequester est rei controversæ, seu fructuum ejus apud tertium securitatis gratia legitime facta depositio. Sic in re communis. Et colligitur ex l. Licet 17 in princ., ff. Depositi, et ex leg. Sequester 110, De verbor. signific. (2. Unde sequester dicitur is, apud quem plures, nempe actor et reus, eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt, dictus ab eo quod ejus fidem partes contententes, vel judex sequantur, dum res litigiosa ejus custodiæ committitur, cit. l. Sequester 110, ff. De verbor. significat., ibi: « Sequester dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt. »

(3. Sequestratio seu sequester differt a deposito. Primo, quia deponi possunt etiam res illæ, de quibus nulla est controversia; sequestrari autem possunt duntaxat res illæ, de quibus est lis seu controversia, l. Licet 17, § 1, ff. Depositi; secundo, quia non solum plures, sed etiam unus duntaxat apud depositarium deponere potest; apud sequestrem autem non nisi plures, l. Propria 6, l. Licet 17 in princ., ff. Depositi; tertio, quia illi, qui rem communem depositam deponunt, non singuli eam in solidum, sed pro sua quisque parte, quam in re habet, deponere censetur, leg. 2, § Sed si duo, et cit. l. Licet, ff. Depositi; qui autem apud sequestrem rem litigiosam deponunt, singuli in solidum deponunt, non pro parte, cit. l. Licet 17, ff. Depositi. Quarto, quia in deposito, quoties liberit, res repeti potest; in sequestro autem non nisi post decisam controversiam. Arg. cit. l. Sequester 110, ff. De verbor. signific.

(4. Sequestratio seu sequester est duplex, scilicet sequester voluntarium seu conventionale, et sequester necessarium sive judiciale. Communis. (5. Sequester voluntarium seu conventionale, est illud quod fit mutuo consensu, cum videlicet partes de re aliqua litigantes, rem illam

quando duo de beneficio contendunt, et neuter adhuc possidet. — 17. Sexto, fieri potest, quando reus conventus est contumax. — 18. Septimo, fieri potest, quando periculum est, ne partes contententes ad arma deveniant. — 19. Octavo, fieri potest, quando colonus negat locationem, et contra dominum super dominio prædii litigat. — 20. Nono, fieri potest, quando maritus vergit ad inopiam, vel periculum est, ne dotem dilapidet. — 21. Decimo, fieri potest, quando timetur de sævitia viri et non potest securitati uxoris sufficienter caveri. — 22. Undecimo, fieri potest, quando adest periculum, seu justus timor, ne sponsæ, de cujus matrimonio contrahendo lis agitur, aliqua violentia inferatur. — 23. Duodecimo, fieri potest, quando servi conquerruntur de tyrannide dominorum suorum, et rationabiliter timetur, ne ob id domini nimis sæviant in illos. — 24. Remedium juris ad evitandam sequestrationem in supra allegatis, et aliis casibus est sufficiens cautio seu satisfactio de restituenda re litigiosa, vel fructibus ejus in casu, quo pars adversa obtineat in causa victoriam. — 25. Imo per sufficientem, idoneam cautionem, seu satisfactionem tollitur etiam sequestratio jam facta, dummodo datus fuerit fidejussor idoneus. — 26. Alia ad rem ad num. 48.

mutuo consensu deponunt apud tertium sive sequestrem, ut eam interim custodiat, et postmodum tradat vincenti. Et dicitur voluntarium seu conventionale, quia illud faciunt, non coacte, sed propria sua voluntate et mutua conventionem. (6. Sequester necessarium seu judiciale est illud quod fit auctoritate, sive mandato judicis utraque parte invita, vel certe alterutra; fit hoc dupliciter, vel motu proprio et ex officio, vel ad instantiam, ut plerumque fieri solet, unius partis litigantis, altera contradicente, ut quando actor petit sequestrari rem litigiosam, reo contradicente. Et dicitur necessarium sive judiciale, quia fit auctoritate judicis, invita utraque, vel saltem alterutra parte, et partes ipsæ litigantes necesse habent stare tali sequestro, eidemque plene obtemperare. Communis.

(7. Sequestrari possunt res mobiles et immobiles, res corporales et incorporales, seu jura, res profanæ et spirituales. Card. Tuschus, verb. Sequester, conclus. 101, n. 5; Barbosa, ad Rubric., tit. 17, De sequestrat., n. 7; Pirrhing, lib. n. Decret., tit. 17, n. 4; Reiff., *ibid.*, n. 4, et alii passim.

(8. Sequestratio seu sequester voluntarium regulariter est permittum, quia est quædam species depositi, et consequenter est legitimus contractus. Cit. leg. Licet, ff. Depositi. Unde Gailus lib. 1 Practic. observ. 148, n. 7, expresse dicit, quod sequestratio, quæ fit ex voluntate et mutuo consensu partium, semper licita sit. L. Si soluturus 39, ff. De soluturibus, l. Propria 6, ff. Depositi, l. Interesse puto 39, ff. De acquir. possess.

(9. Quamvis autem talis sequestratio ab initio sit voluntaria, sicuti cæteri contractus approbati, l. Sicut 5, cod. De actionibus et obligationibus; tamen post factam conventionem inter partes, non licet ipsis partibus contrahentibus ab ea recedere, juxta illud vulgatum: « Quod a principio est voluntatis,

ex post facto fit necessitatis, » per notabilem textum in cit. leg. *Sicut initio* 5, cod. *De obligation. et actionibus*. (10. Item ob eandem rationem neque ipsi sequestri recipienti rem in custodiam licet sua sponte a tali officio recedere, nisi justa de causa et interveniente auctoritate iudicis. L. *Et apud quem* 5, § *Si velit*, ff. *Depositi*, et ibi Bartolus, in *Summario*; Joannes monachus, in *Regula locupletari*, n. 5; Jason, in l. *Si fidejussor* 7, § *Si satisdatum*, n. 4, ff. *Qui satisfacere cogantur*; Pirrhing, loco citat., n. 9; Reiff., loco cit., n. 7 et 8, et alii.

(11. Sequestratio seu sequestrum necessarium regulariter est prohibitum. *Communis* per text. in l. unic., cod. *De prohibita sequestratione pecuniæ*, et concordat cap. *Ad hoc* 1, *De sequestratione*, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Arbitrio*; Rota, part. x, recent. dec. 277, n. 13. Et ratio est, quia non est iudicium ab executione inchoandum, sed requiritur, quod actor de suo jure doceat, et reum super debito convincat. Cit. l. unic., cod. *De prohibita sequestratione pecuniæ*; Rota, part. 1, recent. dec. 464, n. 2, part. vi, dec. 222, n. 2. Priusquam enim actor doceat de suo jure, stat præsumptio favorabilis pro reo; l. ult. cod. *De rei vindicat.*, et cap. *Ex litteris*, *De probationibus*, ad eoque non est turbandus in sua possessione, seu ejus usu per sequestrationem auctoritate iudicis factam, cum lite pendente, nihil sit innovandum. Cap. *A memoria nostra* 1, etc. *Laudabilem* 2; Ut lite pendente nihil innovetur, cum similibus, et expresse Glossa, in cap. *Dilectus* 2, *De sequestratione*, verb. *Sequestrari*, citatis ad id variis iuribus.

(12. Dicitur autem notanter, quod « sequestratio seu sequestrum necessarium regulariter est prohibitum, » quia sunt plures casus in jure expressi, in quibus licite potest fieri sequestratio necessaria, seu auctoritate, vel mandato iudicis. Primo enim fieri potest ad instantiam alterius partis sequestratio auctoritate, seu mandato iudicis, quando reus dissipat fructus, quos conservare tenetur. C. *Dilectus* 2, et cap. *Ab eo* 3, *De sequestratione*.

(13. Secundo, fieri potest sequestratio necessaria, nedum quando reus fructus, quos conservare tenetur, actu dissipat, sed etiam cum rationabiliter timetur, ne ipsos dissipet, aut dilapidet in futurum. L. *Operatores*, § *fin.*, ff. *De appellat.*, junctis cit. cap. *Dilectus* 2, et cap. *Ab eo* 3, *De sequestratione*.

(14. Tertio, sequestratio necessaria fieri potest, quando petitur res mobilis, et reus est suspectus, quod cum ea fugiat. L. *Si fidejussor*, § *Si satisdatum*, ff. *Qui satisfacere cogantur*, et concordat lex *Senatusconsulto* 16, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Et deponatur*, ff. *De offic. præsidis*.

(15. Quarto, sequestratio necessaria fieri potest, quando quis obligatus ad aliquid præstandum, non præstat, quamvis ad id monitus, ut si canonicus, vel alius beneficiatus non resideat, nec inserviat ecclesiæ

prout deberet; tunc enim possunt fructus beneficii sequestrari, donec causa sit decisa. Arg. cap. *Pervenit* 28, *De appellat.*

(16. Quinto, sequestratio necessaria fieri potest in causis beneficialibus, quando duo de beneficio contendunt, et neuter adhuc possidet. Tunc enim, lite pendente, potest iudex fructus beneficii sequestrare, donec lis sit decisa, ne alioquin una pars cum alterius præiudicio in beneficium se intrudat. Arg. l. *Si quæ* 5, *De famil. erciscund.*, et Clem. unic., *De sequestratione*.

(17. Sexto, sequestratio necessaria fieri potest, quando reus conventus, est contumax; tunc enim res petita una cum fructibus potest interim sequestrari, cum actor, jure suo nondum ostenso, in possessionem mitti non possit, ne vitium intrusionis incurrat. Cap. *Olim* 25, *De rescrip.*, cap. *Ex litteris* 2, *De dolo et contumac.*, cap. unic. *De eo, qui mittitur in possess.* in 6.

(18. Septimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando periculum est, ne partes contententes ad arma deveniant; tunc enim potest iudex ex nobili suo officio rem controversam apud tertium sequestrare, donec lis decidatur, cum iudicis sit impedire, ne ad arma et rixas deveniant, quos jurisdictione sua componere potest. Arg. l. *Si cuius* 13, § 3, ff. *De usufruct.*, ibi: « Cur enim, inquit Julianus, ad arma et rixam procedere patiar prætor, quos potest jurisdictione sua componere? » Et concordat cap. *Cura* 1, et cap. *Significantibus* 2, *De purgatione vulgari*.

(19. Oclavo, sequestratio necessaria fieri potest, quando colonus negat locationem, et contra dominum super dominio prædii litigat; tunc enim, nisi colonus cautionem det de restituendis fructibus si succubuerit, possunt fructus illi sequestrari, donec lis fuerit decisa. L. *Litibus*, cod. *De agricolis et censibus*.

(20. Nono, sequestratio necessaria fieri potest, quando maritus vergit ad inopiam, vel periculum est, ne dotem dilapidet; tunc enim sequestrari potest ipsa dos. L. *Si cum dotem* 22, § *Si vero*, ff. *Solutio matrimonio. c. Per vestras* 7, *De donat. inter vir. et uxor.*

(21. Decimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando timetur de sævitia viri, et non potest securitati uxoris sufficienter caveri. Cap. *Litteras* 13, *De restit. spoliator.*

(22. Undecimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando adest periculum, seu justus timor, ne sponsæ, de cujus matrimonio contrahendo lis agitur, aliqua violentia inferatur; tunc enim debet quodammodo sequestrari, et in loco tuto collocari. Cap. *Cum olim* 14, *De sponsalib.*, cap. *Causam matrimonii* 14, *De probationibus*.

(23. Duodecimo, sequestratio necessaria fieri potest, quando servi conqueruntur de tyrannide dominorum suorum, et rationabiliter timetur, quod ob id domini nimis sæviant in illos; tunc enim, lite pendente, potest et debet iudex illæsos illos conservare, et si opus fuerit, sequestrare. Arg. institut. *De his, qui sui vel alieni jur.*

sunt. § *Seu major*, et l. 1, § *Quod autem*, ff. *De offic. præfecti urbis*; quod idem ampliandum est ad religiosos, qui conqueruntur de suis superioribus eos gravantibus. Arg. c. *Olim* 26, *De accusationibus*.

(24. Remedium juris ad evitandam sequestrationem in supra allegatis et aliis casibus regulariter est sufficiens cautio seu satisfactio de restituenda re litigiosa, vel fructibus ejus in casu, quo pars adversa obtineat in causa victoriam. L. *Senatusconsulto* 16, *De officio præsidis*, et concordat l. *Satisfactio* 1, l. *Si fidejussor* 7, ff. *Qui satisfacere cogantur*, cum similibus; Rota, part. iii, rec. dec. 381, num. 2.

(25. Imo per sufficientem et idoneam cautionem, seu satisfactionem tollitur etiam sequestratio jam facta, dummodo datus fuerit fidejussor idoneus. Cit. l. *Si fidejussor* 7, § *final.*, ff. *Qui satisfacere cogantur*, et notat Bartolus, *ib.*, in *Summario*; Rota, part. ii, recent. dec. 654, n. 5.

(26. Remedium apponendi sequestrum rebus asportatis in locis immunibus, quo usus fuit D. nuntius, improbat a sac. congregatione. Sac. congr. Imm., in *Taurinen.* 28 Nov. 1693, lib. ii *Decr. Paul.*, pag. 208.

(27. Iudex laicus non potuit relaxare sequestrum contra bona ecclesiastici, et ideo episcopus potuit procedere contra eum ad declarationem excommunicationis. Sacra congr. Immunitat., in *Casalen.* 25 Aprilis 1634, *ibi*, pag. 188.

(28. Solus iudex concedens, non autem partes obtinentes sequestrum contra fructus bonorum ecclesiasticorum, incidit in censuras in bulla *Cænæ Domini*. Sacra congr. Immunitat., in *Vercellen.* 25 Nov. 1636, lib. iii *Decr. Paul.*, pag. 18.

(29. Non possunt per regios ministros sequestrari vel detineri fiscales redditus debiti ecclesiis et ecclesiasticis. Sac. congr. Imm., in *Sulmon.* 6 Jun. 1637, *ibi*, pag. 35.

(30. Nuntius curet removeri sequestrum appositum a regis ministris super bonis mensæ episcopalis, alias civitas subijciatur interdicto. Sacra congr. Imm., in *Meliten.* 19 Nov. 1675, l. i *Decr. Altov.*, pag. 1172.

(31. Iudex laicus, qui prævenit in sequestrando frumentum laici debitoris respectu ecclesiastici, licet deneget restitutionem ipsius frumenti postea sequestrati a curia episcopali, et depositati penes ipsum iudicem laicum, non incurrit excommunicationem. Sac. congr. Imm., in *Pisaren.* 4 April. 1702, lib. iii *Decret. Vallem.*, pag. 414.

(32. Episcopus mandet sequestrari res furatas pro indemnitate viduæ, in quolibet loco immuni reperiantur. Sac. congr. Imm., in *Viterbien.* 15 Mart. 1692, lib. *Decr. Grim.*, pag. 101.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. Possunt etiam liberæ personæ aliquando sequestrari. Uxores sequestrantur ob mariti insipientiam violentiam, quæ impedit quominus uxor, quæ a marito divertit, ipsi

restituatur. Cap. 8 et cap. 13 in fin., *De restit. spol.* (34. Cognoscendum vero summam de ipsa violentia, eaque incontinenti demonstranda, tanta esse debet, ut habitare cum marito nequeat sine probabili periculo vitæ. Confer Cocceium, in dissert. *De sequestr. femin.*, c. 5, § 4. (35. Et quod hic notare oportet, haud attenditur, an ipsa uxor causam violentiæ præstiterit, dummodo periculum vitæ ipsi immineat. Nicolai, *De divort.*, part. ii, c. 5, n. 75.

(36. Quid autem, si maritus offerat cautionem de non offendendo, annon tunc ipsa sit restituenda, et sequestrum relaxandum? Perpensis circumstantiis res decidi debet.

(37. Porro si insidiæ vitæ scrutæ probabiliter ostensæ fuerint, vix est ut lubrico cautionis mulier se committere interim teneatur, quippe quæ malevolam animam haud mutat. Cocceius, *cit. loc.*, § 4, Nicolai pariter, eodem loc., n. 58. (38. Neque distinguitur utrum uxor adhuc juvenis, an vero propectæ ætatis fuerit. (39. In tali vero loco sequestranda, ubi vir nullam mulieri possit inferre violentiam; c. 8, *De restit. spoliat.*, et monasterium potissimum locus sequestri esse solet, cap. 14, *De probat.*, et sumptibus mariti alenda est. Coccei, *cit. loc.*, in fine.

(40. De sequestratione uxorum prægnantium, quæ olim potissimum in usu erant, Vide Bohemer., in *Decretal.*, lib. ii, tit. 17, § 7.

(41. Puellæ quoque interdum sequestrari solent, si de sponsalibus agatur et metuatur, ne vis ipsis inferatur et impediatur quominus liberum possint edere consensum; quo casu juxta cap. 4, *De sponsal.*, in domo, in qua nihil eas timere oporteat, sequestrandæ sunt, donec de principali causa cognitum fuerit. (42. Neque enim parentes puellas cogere possunt ad matrimonium contrahendum, ad quod præcavendum sequestrum necessarium est. Coccei, *loc. cit.*, c. 2, § 5; cardinal. de Luca, ad concil. *Tridentin.*, discurs. 26, n. 40 et seq.

(43. Sequestranda etiam est puella, si sponsus eam injuste detinet, ut libere reclamare, et voluntatem suam declarare non possit, vel si a consanguineis est circumseptæ, ut libertas voluntatis deficere videatur. Cothmann., vol. 1, respons. 1, n. 437; Cludende, *Sequestr.*, cap. 8, caus. 7 et seq.; Reusner., lib. i, dec. 3 fere per tot.

(44. Si duo contendunt de sponsa, quam uterque contendit sibi matrimonio jungi debere, lite pendente sequestranda iidem est puella, ne forte in præiudicium ejus, qui potentius jus habet, alterum admittat. Gonzal., ad cit. cap. 14 in fin., *De sponsal.*

(45. Quod tunc potissimum obtinere debet, si puella orbata est parentibus, sub quorum custodia vivere posset. (46. Alioquin parentibus potius relinquenda, sub gravissimo interdicto, ne alterutrum ex prociis ad puellam accedere permittant. C. 4 *De spon. duor.*; Cocceius, *cit. loc.*, cap. 2, § 2; Carpozov., *Jurispr. consistor.*,

lib. III defn. 32. Multum tamen iudicis arbitrio relinquendum est. (47. Quid enim si actor ostendat parentes alteri proco plus favere? Quid si monstret, ipsos parentes, præsertim matrem præpotentem in causa

SUMMARIUM.

1. Servitutis nomen dupliciter accipitur, scilicet pro subiectione et pro iure. — 2. Servitus ut sic quid sit? — 3. Servitus ut sic dividitur in personalem, realem et mistam; et quid sit servitus personalis? — 4. Quid sit servitus realis? — 5. Quid sit servitus mixta? — 6. Servitus realis, alia est urbana, et alia rustica; et quæ utraque sit? — 7. Nomine prædii urbani in iure quid veniat? — 8. Prædium, cui servitus debetur, vocatur *dominans*, alterum autem appellatur *serviens*. — 9. Servitus realis urbana adhuc est duplex, nempe affirmativa et negativa: et qualis utraque sit? — 10. Servitutes urbanae, tum affirmativæ, tum negativæ plures sunt, et assignantur, ad n. 12. — 13. Servitus realis rustica etiam est duplex, scilicet nominata et innominata: servitus nominata est illa, quæ nomen habet a iure impositum, et hujus sunt quatuor species, nempe iter, actus, via et aquæductus. — 14. Quid sit iter? — 15. Quid sit actus? — 16. Quid sit via? — 17. Quid sit aquæductus? — 18. Servitus rustica innominata quæ sit, et quotuplex sit? — 19. Servitus realis dividitur insuper in continuam, quasi continuam et discontinuam. — 20. Quæ sit servitus realis continua? — 21. Quæ sit quasi continua? — 22. Quæ sit discontinua? — 23. Servitus mixta est triplex, nempe ususfructus, usus et habitatio. — 24. Quid sit ususfructus? — 25. Quid sit usus? — 26. Minus juris est in usu, quam in usufructu. — 27. Quid sit habitatio? — 28. Servitutum allegans tenetur eam probare. — 29. Quodnam tempus requiratur ad præscribendam servitutem, sive personalem, sive realem, tam affirmativam quam negativam, tam rusticam quam urbanam, continuam, quasi continuam et discontinuam, sive mistam, *remissive*. — 30. In servitutibus affirmativis possessio acquiritur facto. — 31. In servitutibus negativis, per probationem, ne aliquid fiat, et acquiescentiam prohibiti. — 32. Hinc dominus allegans præscriptionem in servitutibus negativis adversus subditos tenetur probare prohibitionem, et patientiam, et obedientiam. — 33. Unde in servitutibus negativis non incipit currere præscriptio, nisi a die prohibitionis. — 34. In materia servitutum conventiones sunt observandæ, quæ tamen debent esse claræ et expressæ. — 35. Via seu transitus servitus, a par-

(1. Servitutis nomen dupliciter accipitur a juristis. Primo nempe pro subiectione seu obligatione, qua res seu persona unius est obligata alteri, ut ipsi quodammodo serviat, et in hoc sensu mancipia dicuntur premi servitute. Secundo autem modo accipitur pro iure illo, quod ex parte alterius correspondet dictæ obligationi, et in hac posteriori acceptione jurisperiti frequentius sumunt servitutem uti nos in præsentibus, nempe pro iure fruendi vel utendi aliquo modo re aliena, vel aliquid circa eam impediendi.

(2. Servitus ut sic, est jus, quo adimitur aliquid libertati, quam dominus in re sua

(59) Servitus personalis antiquo et medio ævo in usu fuit apud Romanos, aliasque gentes. Exstat de

esse, quominus sponsalia legitime contracta consumuntur?

(48. Denique si agatur de statu puellæ quæ se virginem esse adhuc asserit, cum jam ab altero cognita esse perhibetur, sequestrum decernitur. Cap. 14, *De testibus*.

SERVITUS.

tibus contrahentibus præstari debet. — 56. Præstans servitutem transitus debet probare transitum iure servitutis successive, cum potuerit esse iure familiaritatis. — 57. Ubi aliunde transitus haberi non possit, tenetur quis dare transitum in suo fundo, loquendo de transitu publico. — 58. Loquendo autem de transitu seu usu privato, potest quidem quis transire per fundum vicini, si aliunde viam habere nequeat. At debet solvi pretii æstimatio, et est in electione vicini dare transitum in parte sibi benevisa. — 59. Cessat autem servitus hujusmodi, si constet fuisse antiquitus practicantem aliam viam. — 40. Et si id non constet, justificandum est, usum transitus fuisse iure servitutis, credendo uti iure suo, sciente et patiente domino fundi, quod in dubio non præsumitur. — 41. Servitus aquæ ducendæ non solum ex capite vel fonte, sed etiam ex quacunque parte fundi constitui potest. — 42. Et talis servitus aquæ ducendæ constitui potest, sive per continuum fluxum sive per intervalla temporis, nempe pro certis diebus et horis. — 43. Item talis servitus constitui potest, ut aqua dividatur per mensuras, scilicet per uncias et digitos. — 44. Circa aquæ cursum, quæ sint specialiter attendenda? — 45. In præiudicium alterius non licet antiquum aquæ cursum alterare. — 46. Quamvis dominus, per cuius fundum aqua ducitur, rivum et canale mutare possit, hoc tamen solum permittitur ad effectum, ut aqua per rivum novum ducatur ratione commodioris usus sui prædii. — 47. Aquæ servitus non acquiritur ex cursu naturali, ejusque usu, etiamsi per mille annos fluxerit in fundum inferiorem. — 48. Dominus fundi inferioris tenetur recipere aquam fundi superioris, si agatur de ejus naturali fluxu vel decursu, quem situs qualitas causet absque industria et opere manufacto. — 49. Si autem agatur de aquæ fluxu seu decursu proveniente ex hominum industria et opere manufacto, dominus fundi inferioris non tenetur recipere sibi præiudiciale aquam fundi superioris. — 50. Servitus in ecclesia cadit sub Extravagant., *Ambitiosæ*. — 51. Hinc servitus cryptæ et aditus subterranei, servitus fenestræ seu prospectus, servitus portæ seu transitus a domibus privatorum in ecclesias haberi non potest sine speciali indulto Apostolico. — 52. Subnectuntur *additiones ex aliena manu*, ad num. 85.

habet, et id conceditur personæ vel rei alienæ. Est in re communis, et desumitur ex l. *Quoties*, ff. *De servitutibus*.

(3. Servitus ut sic, dividitur in servitutem, personalem, realem et mistam. Servitus personalis, quæ debetur a persona personæ, est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subicitur. Sic expresse in § *Servitus*, inst. *De jur. personar.*, ubi nota quod ponitur *contra naturam*, quia, ut docent communiter doctores cum Scoto, in 4, dist. 46, quæst. unica, quantum est de iure naturæ, omnes homines nascuntur liberi (59).

omni servorum apud Romanos præsertim genere, eorumque officiis egregius Laurentii Pignori libet

* Non omnes servitutes personarum a personis debentur personis, sed quædam sunt servitutes, quæ personis quidem debentur, sed a rebus, vel propter res debentur. Ita recte distinguit Marcianus in l. 1, ff. *De servit.*: « Servitutes aut personarum sunt, aut usus, et usufructus, aut rerum, ut servitutes rusticorum prædiorum. » Servitutes autem prædiorum aliæ in solo, aliæ in superficie consistunt. L. 3, ff. eod. *

(4. Servitus realis, quæ debetur a re rei, est quoddam jus prædio inhærens, et ipsius utilitatem respiciens, et alterius prædii jus, sive libertatem diminuens. Sic expresse Bartol., in l. 1, ff. *De servit.*, ubi nota, quod nomine *prædii* intelliguntur etiam agri, vineæ, domus, aliæque res servituti obnoxie.

(5. Servitus mixta, quæ debetur a re personæ, est jus quoddam, quod habet persona aliqua utendi, fruendique rebus alienis, ut cum prædium alicujus servitutum debet alienis personis. Rota, part. 1, dec. 199, num. 2, part. III, decis. 236, num. 1.

(6. Servitus realis, alia est urbana et alia rustica. Servitus realis urbana est illa, quæ debetur prædio urbano, sive ab urbano, sive a rustico prædio debeatur, dummodo urbano serviat. Pro dignoscenda enim qualitate servitutis realis inspiciendum est prædium, cui ea debeatur, ut ejusdem conditionis sit ac servitus; unde servitus realis erit semper urbana, si prædium, cui debetur servitus, sit urbanum, quamvis a prædio rustico debeatur: servitus autem realis rustica est illa, quæ debetur prædio rustico. Patet id ex tot. tit. institut. et ff. *De servitutib. prædior. urbanorum et rusticorum*.

(7. Nomine prædii urbani in iure venit omne ædificium habitandi gratia factum, sive ruri, sive in urbe existat, una cum horto ipsi causa amœnitatis annexo. L. *Urbana* 198, ff. *De verb. signific.*, ibi: « Urbana prædia omnia ædificia accipimus, non solum ea, quæ sunt in oppidis, sed et si forte stabula sunt, vel alia meritoria in villis et in vicis, vel si prætoria voluptati tantum deservientia, quia urbanum prædium, non locus facit sed materia; proinde hortos quoque, si qui sunt in ædificiis constituti, dicendum sit urbanorum appellatione contineri. » Et concordat, § *Prædium*, instit. *De servitutib.* Nomine autem prædii rustici venit id, quod colligendorum vel percipiendorum causa fructuum factum est, ut stabulum, horreum, ager, et hujusmodi, quæ non habitandi gratia erecta sunt, simulque ab ædificiis urbanorum prædiorum separata. L. *Eo iure utimur* 4, ff. *In quibus causis pignus*, etc., ibi: « Stabula, quæ non

De servis, Patavii 1695, et sæpe alibi. Alia tamen in eo reprehendit cl. Muratorius in dissertatione de servis inter societatis Florentinæ Columbariæ commentarios excusa. Legi quoque meretur Joannes Hermannus Stamm in tribus libris *De servitute personali*, Francofurti 1625, quorum primus veteris et recentis ævi iura circa servos prosequitur, secundus de famulis agit, tertius de hominibus propriis. A cultioribus Europæ provinciis pene ex-

sunt in continentibus ædificiis, quorum prædiorum ea numero habenda sint, dubitari potest: et quidem urbanorum sine dubio non sunt, cum a cæteris ædificiis separata sint. » Et concordat cit. l. *Urbana* 198, ff. *De verb. signific.*, ibi: « Plane si plurimum horti in reditu sunt, vinearii forte, vel etiam olitorii, magis hæc non sunt urbana. »

(8. Prædium, cui servitus debetur, vocatur *dominans*. Alterum autem prædium, quod patitur servitutem, appellatur *serviens*. Sic communiter apud juristas, et Rota par. III, rec. dec. 239, n. 7 et 77.

(9. Servitus realis urbana adhuc est duplex, nempe affirmativa et negativa. Servitus affirmativa est illa, quæ exprimitur verbis affirmativis. Negativa e contra est illa, quæ exprimitur verbis negativis. *Communis*.

(10. Servitutes urbanæ tum affirmativæ, tum negativæ plures sunt, de quibus § *Prædiorum* 1, instit. *De servitutibus*, l. *Si intercedat* 1, l. *Urbanorum* 2, l. *Est et hæc* 3, l. *Lumen* 4, l. *Inter servitutes* 15, l. *Lumen* 16, l. *Si arborem* 17, l. *Fistulam* 19, l. *Servitutes* 20, l. *Si domus* 21, cum aliis similibus, ff. *De servitutibus prædiorum urbanorum*, l. *Altius* 8, l. *Si in ædibus* 9, cum similibus, cod. *De servitutibus et aqua*, atque per ordinem referuntur in *arbores servitutem*, quæ est præfixa, leg. 8, ff. tit. 2, *De servitutibus*.

(11. Et inter servitutes urbanas affirmativas signanter connumeratur *servus stillicidium avertendi*, id est jus derivandi stillicidium domus suæ in domum, vel aream vicini. Item *servitus projiciendi*, id est jus, quo quis ex fundo suo urbano in solum vicini aquam, aut limum, aut quisquillas ei projicere licet. Item *servitus tignum immitterendi*, et est jus, quo quis tignum, id est trabem super parietem sui vicini immittere potest. Item *servitus protegendæ*, et est jus, quo alicui licet ædes suas protendere in solum vicinum, et sic in aream projicere ac porrigere mœniam subgrundis, vel pensilibus ambulariis, ut tamen in vicino solo, vel pariete non insideant, nec conquiescant. *Protegere* enim est tectum projicere. *Mœniana* autem sunt quædam exterius porrecta ædificia; et *subgrundia* pars tecti ultra structuram ædium projecta, et præeminens. Item *servitus prospectus*, *servitus luminum*, *servitus altius tollendi*, et hujusmodi, de quibus late in t. institut., ff. et cod. *De servitutibus*, etc., et signanter in *Legibus supradictis*, præcipue in l. *Urbanorum* 2, ff. *De servitutibus prædiorum urbanorum*, ibi: « Urbanorum prædiorum iura talia sunt: altius tollendi et officendi luminibus, vicini.... Item stillicidium avertendi in te-

sulat hodie servitus personalis; sed nihil apud Indos communis. Non omittenda hic *servitus pœnæ*, ad quam non solum a Romanis idololatriæ damnatos Christianos novimus ex Tertulliano, *Apolog.*, cap. 29, sed etiam ipsum apostolum Paulum Philippis discimus ex apostolorum Actis, c. XVI. Gorius legendus in *Symbolis litterariis Romanæ decadis* vol. 9, ubi pag. 78, iterum dedit Jo. Conradi Stigglizii, *De servitute pœnæ S. Pauli apostoli* librum.